



**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qvalificatoris, Et
Olim Complvti Sacrae Theologiae Professoris. Opvs
Theologicvm, iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Dissertivr ...

Izquierdo, Sebastián

Romae, 1664

Quaestio 1. Quid sit infinitum. Quid infinitas. Et quotuplex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76990](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76990)

TRACTATUS VI. DE INFINITATE

DEI.

DVABVS disputationibus claudetur hic Tractatus. Altera erit de infinito, de infinitateque in vniuersum. Altera de infinitate Dei.

DISPUTATIO XIII.

De Infinito, de infinitateque in vniuersum.

MATERIA huius disputationis obuia est apud Philosophos, & Theologos. De ea enim tractant communiter. Illi quidem cum Arist. lib. 3. Physic. Hi vero cum S. Thom. 1. p. q. 5. Curabo tamen nihilominus circa illam, præter communia, nonnulla insuper non adeo obuia producere in lucem.

QVAESTIO I.

Quid sit infinitum. Quid infinitas. Et quotuplex.

ARIST. lib. 3. Physic. cap. 6. text. 62. & 63. traiecit quorundam antiquorum definitione de Infinito, suam ipse exhibet ita inueniens. *Accidit autem, contra esse infinitum, quam, sicut dicitur. Non enim cuius nihil est extra; sed cuius semper aliquid est extra, hoc infinitum est.* Et postmodum. *Infinitum quidem igitur hoc est, cuius secundum quantitatem accipientibus semper est aliquid accipere extra. Cuius autem nihil est extra, hoc perfectum est.* Itaque, vt clarius profertur interpres communiter iuxta mentem Philosophi, *Infinitum est, cuius partes successiuè accipientes alia, & alia restant semper sine fine accipientia.* Vel, vt alij breuitatis, *Infinitum est, quod successiuè exhauriri, sine perituri non potest.* Manifestum est autem, sermonem hic esse de infinito secundum quantitatem vniuersalissimè sumptam, quæ in toto composita ex partibus, & diuisibili in eas consistit, prout à nobis statutum est supra disp. 10. q. 1. Et quoniam, prout ibi q. 2. explicatum est, quantitas vniuersè sumpta alia est physica, quæ ex partibus physicè inter se distinctis componitur; alia est metaphysica, quæ vel ex formalitatibus, per solam rationem inter se distinctis coalescit; vel per quorundam æquivalentiam duntaxat censetur ex partibus composita. Physica autem quantitas alia est continua; alia discreta. Et vtrauis rursus alia est extensa, siue habens partes extra partes secundum series aut loci, aut temporis, aut originis, aut connexionis, aut dignitatis, &c. alia est intensa, siue habens partes intra partes in eodem gradu emittet di-

ctarum serierum. Quantitas demum extensa localiter, siue secundum seriem loci alia est talis quoad longitudinem, vt linea; alia quoad longitudinem, & latitudinem, vt superficies; alia quoad longitudinem, latitudinem, & profunditatem, vt solidum. Quoniam, inquam, tot sunt species quantitatis, quæ latius explicata loco citato recognoscendæ sunt, scire opus est, definitionem præfatam ad infinitum secundum eas omnes, & singulas, proportionem seruata, extendi.

Quod vt plenius intelligatur, suppono primo, illud propriissime omnium, attentâ nominis etymologia, dici infinitum, quod, cum aliquo sit extensum, finem non habet, siue terminum, siue extremum, quo ipsius extensio finiatur, limitetur, & terminetur, ne ulterius progrediatur. Sic quories in qualibet serie earum, quas latè exposuimus in Pharo scienc. disp. 15. loci videlicet, temporis, originis, connexionis, & dignitatis, aliarumque eiusmodi habentium extensionem partium nulla omnino pars datur extrema, ultra quam non sit alia; talis series ab eo latere, a quo non habet illam partem extremam, propriissime dicitur infinita: quia ab eo latere non habet finem, siue terminum, siue extremum.

Ceterum, quia sola quantitas extensa, cuius partes sunt ordinatæ secundum prius, & posterius, potest habere partes extremas, quando est finita, sicut & medias: (in partibus quippe quantitatis intensæ, cum sint vicissim, & æquè omnes penetratæ, atque ita destituta omni ordine prioris, & posterioris, nec dantur extremae, nec mediae): ob idque sola quantitas extensa potest infinita esse eo titulo, quod nullam habet partem extremam ab eo latere, versûs quod infinita est. Suppono secundo, infinitum secundum quantitatem physicam ad duo vniuersalissima capita posse, imo & debere reuocari: nempe ad infinitum extensionis, & ad infinitum multitudinis. Ita, quod sub primum cadat omnis quantitas extensa, siue omnis series coalescens ex partibus ordinatis secundum prius, & posterius, & nullam habens partem extremam. Sub secundum vero omnis multitudinè partium quantitatis intensa, aliarumque quarumlibet vnitatem; quæ, cum nullam constituat seriem partium ordinatarum interminatam, sine carentem parte extrema; tanta tamen est, vt per incoefficientiam suarum partium accipientem, siue numerationem nullatenus exhaustiri valeat. Et que proinde conueniat esse infinitam, non quod prout iacet de facto, careat sine, seu termino, sed quod series successivæ numerationis ex eius partibus factibilis nunquam potest esse tam longa, vt nequeat ulterius amplius, & amplius absque vilo siue, siue termino semper extendi. Quo circa infinitum multitudinis potius infinitabile successiue

siue, quam infinitum videbatur dicendum, eum tamen infinitum extensionis propriissime infinitum dicatur, spectata etymologia nominum. Ob idque fortasse Aristoteles bene sua definitione per proprietatem utriusque communem comprehendit utrumque. Siquidem utriusque proprium est, ut ipsius partes successiue accipienti alia, & alia, & alia restent semper sine fine accipiendae.

4 Vnde tertio sequitur supponendum, de multitudine etiam partium infiniti extensionis, ut de quodam infinito multitudinis perinde secundum philosophandum cum precisione ab earum ordine prioris, & posterioris, ac de quolibet alio multitudinis infinito. Atque adeo infinitum extensionis, precise quatenus quaedam multitudo est, easdem passiones participare infiniti multitudinis, cum tamen quatenus quaedam interminata extensio est, aliquas fortasse proprietates forciatur infinito multitudinis non communes, ut ex dictendis in sequentibus apparebit. Itaque ambo conueniunt in habendo partes infinitas, id est successiue acceptione, sine numeratione nunquam finibiles, in ceterisque, quae inde sequuntur. Supra quod addit infinitum extensionis ordinationem suarum partium in serie non habente partem extremam a latere, a quo est infinitum; & cetera, quae sequuntur hinc.

5 Quarto suppono, infinitum secundum quantitatem physicam vniuersae vsurpatum per uulgatam diuisione diuidi in infinitum in actu, seu categorematicum, & infinitum in potentia, seu syncategorematicum. Infinitum in actu, seu categorematicum dicitur id, quod ex partibus infinitis intrinsece constat, siue in statu existenti, siue in statu quidam, sine in alio quopiam statu consideretur, iuxta doctrinam vniuersalem de statibus rerum traditam in Pharo Scient. disp. 10. Per particulam eum in actu non denotatur actualitas existentiae, sed actualitas infinitudinis, intra quemcunque demum statum sit illa constituens infinitum. Et hinc infinito duntaxat conuenit definitio in precedentibus explicata, utpote quod solum est reuera infinitum, absolute, & proprie loquendo. Infinitum vero in potentia, seu syncategorematicum appellatur id, quod ex finitis partibus intrinsece constat, in quocunque statu consideretur, ita tamen, ut per additionem aliarum, & aliarum partium extrinsecus ipsi accretionem in infinitum, siue absque vilo limite, & termino augibile sit. Quare secundum quid duntaxat siue cum addito, aut etiam improprie dicitur infinitum. Sicque definiti potest. *Est quantum finitum augibile in infinitum.*

6 Diuidi praeterea solet eodem modo infinitum categorematicum in infinitum simpliciter, & infinitum secundum quid. Sed non eodem modo intelligunt omnes membra huius diuisionis. Quia multi per infinitum secundum quid solum illud intelligunt, quod cum constat ex partibus infinitis, quantitatem tamen hanc constituit, quale putant esse infinitum partium proportionalium, atque etiam infinitum indivisibile cuiusuis quantitatis continuae, quantumuis paruae, iuxta sententias componentis illam ex partibus sine fine diuisibilibus vel solis, vel mixtis cum indivisibilibus, aut ex solis indivisibilibus infinitis. Sub infinito autem simpliciter cetera cuncta comprehendunt quanta infinita. Alij infinitum secundum quid dicunt illud, quod solum ab vno latere est infinitum. Infinitum vero simpliciter, quod tale est ab omnibus, quae habet. Alijque aliter loquuntur,

ergo, ut finitum in hac materia, stabilemque, & vniuersalem modum loquendi statnam, imprimis reijcio illud infinitum secundum quid partium proportionalium, atque indivisibilem constituens quantitatem continuam finitam tanquam omnino chymericam, & impossibile iuxta dicta disp. 10. quest. 4. Deinde ceterorum infinitorum illud intra vnumquodque eorum genus dico simpliciter infinitum, quod secundum omnem considerationem spectantem ad tale genus infinitum est. Illud vero secundum quid, quod secundum aliquam tantum. Quo pacto linea ab utroque latere infinita simpliciter talis intra suum genus dicitur; similiterque superficies infinita quoad longitudinem, & latitudinem; & solidum infinitum quoad longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Linea vero ab vno duntaxat latere infinita secundum quid dicitur talis in suo genere; similiterque superficies infinita solum quoad longitudinem, aut etiam solum ab vno latere; & solidum infinitum tantum quoad longitudinem, & latitudinem, non vero quoad profunditatem, &c. Pariterque quoduis aliud infinitum extensionis simpliciter dicitur tale in suo genere, quando series in quo consistit ab omni latere, & secundum omnes suos ramos (quando illos habuerit, ut habent series originis, series connexionis, & similes) infinita fuerit. Secundum quid vero, quando ab aliquo, aut ab aliquibus lateribus tantum; aut tantum secundum aliquem, aut aliquos ramos. Infinitum autem multitudinis tunc tales simpliciter in suo genere dicitur, cum omnes entitates in eo genere possibiles, aut etiam excogitabiles comprehenderit; ut infinitum hominum, cum omnes homines infinitum animalium, cum omnia animalia; infinitum bonitatum, cum omnes bonitates; & sic de reliquis. Tunc vero dicitur tale secundum quid in suo genere, quando aliquibus tantum consistit ex vnitatibus pertinentibus ad tale genus. Haecenusque de infinito secundum quantitatem physicam.

Iam vero pro explicando infinito secundum quantitatem metaphysicam imprimis supponendum est ex dictis disp. 10. q. 2. diuis. 3. quantitatem metaphysicam duplicem esse. Alteram formalem consistentem in toto quodam formaliter per rationem nostram composito ex pluribus formalitatibus tanquam ex partibus similiter per rationem nostram actu distinctis. Alteram equiualem, seu virtuale consistentem in conceptu obiectiuo, qui non titulo alicuius compositionis formalis, sed titulo duntaxat cuiusdam equiualentiae compositionis quantum dicitur, quatenus in ordine ad suscipiendas denominationes proprias quantorum perinde se habet, ac si esset quantum, atque adeo compositum formaliter.

Quo posito, assero primo, impossibile esse, ut quantum metaphysicum formale categorematice sit infinitum. Quia impossibile est, ut ab intellectu nostro pro statu praesente actu hanc infinitae distinctiones rationis infinitarum formalitatum eiusdem entis, ex quibus illud formaliter, & metaphysice conceatur compositum, prout opus erat, ut illud quantum formale metaphysicum infinitum categorematice euaderet, ut satis superius ex se notum est. Ab intellectu autem Dei aliorumque intuentium ne vlla quidem, nedum infinitae distinctiones rationis infinitarum formalitatum eiusdem entis effici possunt; ut constat ex generali doctrina tradita a nobis in Pharo Scient. disp. 13. q. 11. & 12. Quoniam ve-

ro, factis ab intellectu nostro quibusvis distinctionibus rationis quarumvis formalitatum eiusdem entis, alia, & alia sine limite fieri possunt, idcirco quantum metaphysicum formale syncategorematicè infinitum possibile est, de factoque datur, scilicet quoduis ens ex finitis formalitatibus constans, ex aliisque, & alijs sine termino in eo à nobis distinguibilibus potens constare. Quo pacto diximus disp. 10. q. 4. quantum mathematicum syncategorematicè esse in infinitum diuisibile, quatenus, peracta omni diuisione possibili eius in partes physice distinctas, in plures, & plures minores absque ullo limite per nostram rationem velut in quosdam formalitates diuisibile est. De quo ibi plura. Cæterum, quia quantum metaphysicum formale præcisè ut tale minus proprium est, ut notauimus disp. 10. q. 2. diuis. 2. citata, & quia categorematice infinitum in suo quali quali genere esse non potest, ut modò vidimus, eo prætermissò deinceps, de solo quanto metaphysico æquivalente sermo erit, quoties de quanto metaphysico sine infinito, siue infinito absolute, & indistinctè loquuti fuerimus.

9. Affero igitur secundo, possibile esse quantum metaphysicum æquivalente (de quo solo iam sermo est) categorematice infinitum. Quia possibile est conceptus obiectiuus æquivalente quanto physico categorematice infinito; quod ipsum est, talem conceptum per æquivalentiam esse quantum categorematice infinitum. Sic ens (citra dubium possibile) tam bonum, tamque æstimabile, quam bona, quamque æstimabilis est multitudo aliorum entium categorematice infinita, quantum metaphysicum infinitum categorematice erit. Tantumdemque dicendum venit de potentia, siue virtute possibili tam valida ad qualibet præstanda; quam valida esset multitudo categorematice infinita aliarum potentialium. Deque cognitione possibili tam clara, tam certâ, tamque extensâ obiectiuè, quam clara, quam certâ, quamque extensâ obiectiuè esset multitudo categorematice infinita aliarum cognitionum. Parietque de huiusmodi cæteris. Erit autem quantum metaphysicum infinitum simpliciter in suo genere; cum quanto physico simpliciter infinito in suo genere æquivalerit. Secundum quid autem; cum æquivalerit infinito secundum quid, iuxta dicta, & statuta de his n. 6.

10. Tertio affero, quantum purè metaphysicum nullatenus esse posse syncategorematicè infinitum: quia quantitas purè metaphysica cum conceptu obiectiuo, cui conuenit, idem omnino est. Repugnat autem, ut conceptus obiectiuus per id, quod secum est prorsus idem, ita æqualeat alicui quanto physico finito, ut possit maiori, & maiori sine limite æqualeat; (prout oportebat, ut talis conceptus syncategorematicè esset infinitus quoad quantitatem metaphysicam) 1. quia id esset, posse conceptum obiectiuum suam essentiam semel, & iterum, atque iterum sine fine mutare. Quid planè impossibile est. Dixi autem purè metaphysicum: quia, accedente quantitate physica, bene poterit quantum mixtum, ex metaphysico, & physico esse syncategorematicè infinitum: ut, si ens per suam entitatem æqualeat quanto physico ut quatuor; per eandemque simul, & accidens sibi physice adiunctum æqualeat quanto physico ut sex; sitque potens aliud, & aliud accidens physicum absque ullo limite accipere, quibus maiori, & maiori absque ullo itidem limite, quanto physico possit æqualeat.

Sed dubitandum superest, quid sit infinitum secundum essentiam. Hucusque enim de infinito secundum quantitatem egimus, quæ accidens saltem metaphysicum cuiusvis essentia habentis quantitatem seu physicam, seu metaphysicam esse videtur. Cui dubitationi ut respondeam, prænoto, & statuo primò consentaneè ad dicta iam supra disp. 10. q. 1. diuis. 15. cum infinitum iuxta nominis etymologiam illud dicatur, quod caret sine, siue termino, tot modis quodlibet ens posse dici infinitum, quot modis carens termino dici potuerit. Terminus autem dicitur vniuersè id, vltra quod nihil est entis per ipsum terminati, siue finiti. Diuiditurque in intrinsecum, & extrinsecum. Terminus intrinsecus est, qui intrinsecè pertinet ad ens terminatum per ipsum, ut quid constitutum eius. Qui rursus duplex potest distingui. Proprius, & improprius. Terminus intrinsecus proprius est, quod alicuius extremum est; ut definit Eucl. lib. 1. Elem. def. 13. conuenitque quanto extensò composito ex partibus ordinatis seriatim, quarum vna, aut plures extremitate, cæteræ autem mediæ sunt. Terminus autem intrinsecus improprius dici potest quæuis essentia inuisibilis accepta comparatione sui, quatenus perse coarctet se ipsam, ne progrediatur vltra id, quod est. Iam verò terminus extrinsecus est, qui, cum non pertineat intrinsecè ad ens terminatum, sed ad aliud, illud tamen nihilominus extrinsecè terminat, & coarctet, ne se vterius extendat, aut progrediatur. Hoc pacto locus realis in vltimâ superficie corporis continentis consistens terminus extrinsecus rei locatæ venit dicendus, & vniuersè quæuis quantitas alteri immediata, & ipsam tangens terminus extrinsecus eius ab eo latere dici potest. Sic etiam cognitionis obiectum terminus eius dici solet, quatenus cognitio ad suum obiectum tendere, in ipsoque se sistere censetur. E contra verò cognitio, quatenus intentionaliter, siue representatiuè complectens obiectum sui, ipsius terminus dicenda venit. Hinc enim factum est, ut cognitio obiecti essentiam integrè circumplectens definitio eius dicatur, siue finitio; eo quòd ita finit, terminat, atque circumscribit essentiam obiecti, ut nihil ipsius vltra relinquat cognoscendum. Eademque est ratio de definitione vocali, & scripta. Quo iure definitio vniuersè terminus rei definitæ dicitur, teste Arist. lib. 5. Metaph. text. 22. Effectus itidem cause prout influentis in illum dicitur terminus, quatenus eius influxum terminat, ne vterius progrediatur. E contra verò causa dicitur terminus effectus quatenus continens ipsum in sua causatiuâ virtute. Quo iure P. Vaz. 1. p. disp. 24. cap. 5. infinitatem Dei secundum essentiam in eo constituit, quòd Deus non habet causam sui. Materia item quodammodo terminatur, siue finitur per formam, & forma per materiam, ut ait S. Th. 1. p. q. 7. art. 1. quatenus vterque se contrahunt, atque coercent. Idemque supponit de esse & essentia creatâ; inferens inde, infinitatem Dei consistere in eo, quòd esse diuinum non sit esse receptum in aliquo, sed ipse sit suum esse subsistens. Alijsque præterea modis solet interdum vnum ens dici per aliud tantum quam per terminum extrinsecum terminari, siue finiri. Ex quibus omnibus concluditur, quòd modis ens habens terminum aut intrinsecum, aut extrinsecum dicitur per illud terminatum, siue finitum, tot modis ens non habens similem terminum, siue illo carens venire dicendum interminatum, siue infinitum.

12 Sed verò non possum non prenotare, atque statuere secundò, à solâ carentiâ termini intrinseci propriè dicti euadere, loquendo cum proprietate, infinitum ens aliàs potens ex suo conceptu illum habere; quale est omne, & solum quantum physicum, & metaphysicum; vnumquodque suo modo; primum videlicet formaliter, & secundum æquivalenter. Terminò enim intrinsecò improprio nullum ens potest carere, vt non potest carere suâ essentiâ cum qua ille idem est. Et à carentiâ termini extrinseci improprie profectò, & sæpe sapius abusiue dicitur, absolute loquendo, ens illo carens infinitum. Quis enim absolute dicat, fore meum corpus infinitum, si Deus amoueret à me locum extrinsecum, à quo circumdòr? Nemo sane. Sicut nemo nunc dicit integrum hoc vniuersum esse infinitum, quòd nullo extrinsecò loco circumdatum est. Quis dicat absolute, fore infinitum quoduis obiectum, si non amplecteretur à cognitione? Aut è conuersò, quamlibet cognitionem fore infinitam ex hypothesi, quòd careret obiecto? Quis dicat similiter, esse infinitum quoduis ens non terminatum per influxum ad vllum effectum? Ita sanè improprie è conuersò dicitur esse infinitum ens, quòd non continetur in vllâ causâ. Sicut & ens, quòd non recipitur in vllò subiecto. Pariterque venit dicendum de cæteris huiusmodi. Stet itaque, esse finitum, aut infinitum, passionem propriam esse entis quanti physicè, aut metaphysicè quatenus talis; de eoque dumtaxat venire dicendum alterutrum, si cum rigore, & proprietate loquendum sit.

13 Tertiò prenotò, nullum auctorem, quem ego viderim, examinasse generatim, siue vniuersim, & ex professo, in quo consistat infinitudo secundum essentiam prout condistincta ab infinitudine secundum accidens. Solum examinant Theologi speciatim, in quo consistat infinitudo Dei, supponentes esse eam secundum essentiam, & non secundum accidens, siue eam Deo per essentiam, & non per accidens conuenire. Circa quam questionem quot capita, tot ferme sunt sententiæ, vt videbimus disp. 14. Oportebit igitur in præsentia etiam ad eam specialem controuersiam tutius determinandam ex vniuersalioribus principijs eruere, stabilireque in vniuersum prædictarum infinitudinum proprios conceptus, & eorum discrimen, Quòd vt præstem.

14 Quarto prenotò, & statuo ex doctrinâ tâcâ supra disp. 10. q. 2. diuis. 4. & antea latius scriptâ in Pharo Scient. disp. 16. q. 3. partes inter se dissimiles totius essentialis essentiæ specificæ eius essentielles esse: quia, qualibet earum deficiente, talem essentiam deficere, necesse est. Cum tamen partes inter se similes totius integralis non essentielles, sed accidentales sint essentiæ specificæ eius: quia hæc in qualibet totius particulâ (etiam in aliis non diuisibili iuxta dicta disp. 10. q. 4. n. 276.) conseruari potest, cæteris omnibus deficientibus. Cumque cuiusuis entis quantitas physica in eius compositione formali ex partibus, in eiusve diuisibilitate in illas reipsâ ab ipsius partibus indistinctâ consistat, iuxta doctrinam stabilitam in eadem disp. 10. q. 1. consequens est; vt quoties ens est compositum, seu totum, seu quantum essentialis, quantitas, quam vt tale habet, ipsi essentialis veniat dicenda, atque adeò ipsi conueniens secundum essentiam, seu per essentiam. Cum tamen, quoties ens est compositum, seu totum, seu quantum integrale, quantitas, quam habet vt tale, accidentalis ipsi iure di-

cat, atque adeò conueniens ipsi secundum accidens, seu per accidens.

15 Ex quò imprimis patet, quando quantitas physica, & consequenter eius magnitudo, vel paruitas, infinitudo, vel finitudo, æqualitas cum alterâ, aut inæqualitas, &c. dicenda sit conuenire secundum essentiam, seu per essentiam, & quando secundum accidens, seu per accidens enti, cui conuenit considerato secundum propriam, & specificam essentiam, quam habet. Verum enim verò, quia scientiæ tractantes de quantitate physica, seu de quanto physico vt tali à propriâ, & speciali ipsius materiâ præscindunt; (vt cernere est in Geometriâ agente de lineis, superficiebus, & solidis, & in Arithmeticâ agente de numeris cum præcisione ab omni materiâ, in qua ea possunt reperiri); vt summumque considerant illud sub conceptu entis abstractissimo; essentiæque talis conceptus non essentialis, sed accidentalis est omnis partium compositio, ac diuisibilitas, in qua consistit ipsa quantitas physica; siquidem essentia entis vt sic eriam in entibus simplicibus, & quantitate physica expertibus reperitur. Hinc factum est, vt omnis quantitas physica, atque adeò magnitudo eius, vel paruitas, infinitudo, vel finitudo, &c. accidentalis vniuersè dicatur subiecto, cui tribuitur, nimirum entis conceptui abstractissimo. Quòd autem scientiæ de quantitate physica ab specialioribus essentijs, quibus illa reipsâ conuenit, præscindant, dumtaxatque considerent illam prout in ente præcise sumpto, inde nascitur; quia, quòd quantitas physica sit magna, vel parua, finita, vel infinita, æqualis alteri, aut inæqualis, proportionalis, aut non proportionalis, &c. que sunt passionis ipsius quantitatis à talibus scientijs consideratæ, non pender ex specialitate essentialium, quibus illa reipsâ conuenit, sed ex eo, quòd partes eius sint plures, aut pauciores, finitæ, aut infinitæ, æquales alijs, aut inæquales, proportionales, aut non proportionales, &c. que omnia possunt habere consideratæ secundum præcise conceptum entis, vt est notissimum.

16 Aliud est de quantitate metaphysicâ, deque eius magnitudine, aut paruitate, finitudine, aut infinitudine, æqualitate, aut inæqualitate, &c. Cùm enim quantitas metaphysica cum eiusmodi suis passionibus per quamdam solum æquivalentiam sit talis, & huiusmodi æquivalentia aliud non sit reipsâ ab essentijs specialibus, & proprijs rerum, quibus illa conuenit, in ipsisque prouincis specialibus, proprijsque essentijs ipsarum rerum, radicetur, atque fundetur. (Propterea enim alij conceptus ex propriâ essentiâ quantitatem metaphysicam habent, suscipereque ob id dicunt magis, & minus. Alij ex proprijs itidem essentijs carent illâ, ob idque in indiuisibili dicuntur consistere, iuxta doctrinam statutam disp. 10. q. 2. diuis. 3.) Consequens est, vt quantitas metaphysica cum suis passionibus rebus ipsis, essentijsque earum proprijs ita sit essentialis, vt absque illâ tales essentiæ stare non possint. Etenim homo idcirco tantam perfectionem, tantam virtutem, causatiuam, tantamque bonitatem habet, & non maiorem, neque minorem; quia talem specificam habet essentiam hominis; non verò quia habet essentiam conceptus entis præcise sumpti, vt est notissimum. Tum ideo homo, & Angelus in bonitate, in perfectione, in virtute, &c. sunt inter se inæquales, quia sunt homo, & Angelus; non verò, quia sunt entia quædam, vt etiam constat. Prouincieque essentialis hominis, & essentia Angeli stare non possunt absque

absque eo, quod homo, & Angelus tantam bonitatem, tantam virtutem, tantamque perfectionem habeant, quantam reuera habent. Quod ipsum est, quantitatem metaphysicam, quam habent in homine; & Angelo ea omnia ipsorum prædicata, quæ ex suo conceptu dicuntur suscipere metaphysicè magis, & minus, cum suis passionibus essentialiter convenire ipsi homini, & Angelo. Eosque proinde secundum essentiam, seu per essentiam, non verò secundum accidens, seu per accidens tam magnos quoad talia prædicata esse, quam sunt reuera, neque maiores, neque minores. Tantumdemque de cæteris entibus, de cæterisque conceptibus obiectivis quantitatem metaphysicam cum suis passionibus habentibus dicendum est.

17 Vbi soleret est aduertendum, cum dicimus, ens quoduis esse metaphysicè quantam, atque adeo magnum, aut paruum, finitum, aut infinitum, &c. secundum essentiam, seu per essentiam, seu essentialiter, non ita id intelligendum esse, ut putetur essentia talis entis esse metaphysicè quanta formaliter, quasi sit ex genere eorum conceptum, qui suscipere dicuntur metaphysicè magis, & minus. Non enim est ita: quia essentia rerum sumpta formaliter ex genere potius sunt aliorum conceptum, qui quantitate metaphysicà delimitati in indivisibili dicuntur consistere. Ob id enim nequit dici Angelus esse maior, quam homo, in essendo id, quod est præcisè; quemadmodum neque in existendo. Nec dici potest Angelus magis esse id, quod est, quam homo; sicut nec magis existere, quam homo, &c. Sed sensus dicti modi loquendi est, convenire cuiusenti quantitatem metaphysicam repectam reuera in prædicatis, quæ ipsius essentia specificè, siue speciali annexa sunt, quemadmodum ipsi conveniunt prædicata ipsa. Atque ita, quo sensu dicitur quoduis ens esse essentialiter, seu per essentiam, seu secundum essentiam suam specialem, siue specificam bonum, perfectum, potens, &c. bonitate scilicet, perfectione, potentiaque propria talis essentia: eo quod hæc prædicata ipsi tali essentia essentialiter, seu necessario annexa sunt, eodem sensu dici esse illud essentialiter, seu per essentiam, seu secundum essentiam suam specificam magnum, aut paruum, finitum, aut infinitum, &c. scilicet quoad propriam talis essentia bonitatem, aut perfectionem, aut potentiam, &c. quibus formaliter competit eiusmodi quantitas.

18 Ex quibus omnibus iam liquido apparet, quo pacto quoduis ens infinitum secundum quantitatem physicam secundum accidens, seu per accidens, seu accidentaliter; quoduis verò ens infinitum secundum quantitatem metaphysicam secundum essentiam, seu per essentiam, seu essentialiter infinitum veniat censendum. Vtrum autem aliquod ens creatum aut sit, aut esse possit reuera infinitum secundum essentiam in sensu explicato, saltem in vno, aut altero generis atque fortasse se expediens sit, non tam secundum essentiam, quam secundum quantitatem metaphysicam infinitum, illud vocare; ex dicendis in decursu huius disputationis constabit. Id certum, Deum in sensu dicto infinitum esse secundum essentiam in omni genere. Idque non solum; quia æquivalenter est tam perfectus, quam cætera omnia entia omnis generis; sed insuper quia totam ipsorum perfectionem continet eminenter in se; quod ipsius solius proprium est. Tum solum Deum in alio

sensu esse infinitum per essentiam, quatenus à se ipso, & non ab alio habet suam infinitudinem; sicut & cætera attributa. De quo agendum disp. 14.

19 Ex quibus etiam omnibus iam demum constat. Quid sit infinitum. Et quòtriplex. Quod erat propositum questionis. In quonamque consistat quoduis infinitum eorum, in quæ infinitum sumptum in genere diuisum est. Id vnum tandem aduerto, finitum infinito opponi. Atque adeo finitum venire dicendum vniuersè, quidquid exhaustiri, seu pertransiri potest successivè; sicut infinitum è contra dicitur vniuersè, quidquid exhaustiri, seu pertransiri non potest successivè.

QVÆSTIO II.

Quasnam passiones seu proprias, seu communes habeat unumquodque infinitum eorum, quæ q. 1. exposita sunt.

20 Succeedit quæstio hæc loco eius, quam in vnaquaque ex disputationibus metaphysicis ex propositionibus evidentibus aut parte notis, aut demonstratis solemus compingere. Visum est tamen, variato stylo, sub præfixo titulo aliter, quam alias, eam proponere. Quia, licet pleræque propositiones, ex quibus coalescet, evidentes haud dubie erunt vel ex terminis, vel ex iungendâ demonstratione; nonnullæ fortasse occurrant, quæ tales non sint aut absolutè, aut apud aliquos Auctores sentientes oppositum. Præscindendum autem est in hac quæstione à possibilitate, & impossibilitate vniuersusque infiniti. Nam, siue sit illud possibile, siue impossibile, suas passiones habere potest etiam evidenter scibiles. Imo verò ex eius passionibus semel scitis, & statucis inferenda veniet postea scientificè possibilitas, aut impossibilitas eius. Procedet autem resolutio huius quæstionis, sicut & aliarum similium, per aliquot propositiones methodicè ordinatas; ut sequitur.

Propositio 1.

21 Impossibile est, dari in statu existentiæ infinitum syncategorematicum aut extensionis, aut multitudinis, quin sint possibiles, atque adeo quin dentur in statu possibilitatis, siue quidam partes aliquoræ similis extensionis, aut vnitates similis multitudinis categorematicè infinitæ.

Demonstratur facile, & clarè. Quia infinitum syncategorematicum existentiæ finitum, quoddam est augibile in infinitum per alias, atque alias partes, aut vnitates ei adiungibiles sine fine, quin detur vltima, vltra quam alia adiungi nequeant, iuxta definitionem statutam q. 1. At hoc stare nequit, nisi partes, aut vnitates adiungibiles, atque adeo possibiles in suo possibilitatis statu sint categorematicè infinitæ, ut est manifestum. Nam alias successivè perueniri posset ad vltimam, vltra quam non essent alia adiungibiles contra suppositionem per ipsam definitionem factam. Ergo, &c.

Hinc evidenter, & vniuersaliter inferitur, 22